

mire illustrant, & qua ratione etiam contritionem aliquam baptismus producat, satis docent.

§. XII. Quando igitur infans per lavacrum sanctissimum regeneratur, justificatus & renovatus ac sanctificatus est, eo minus dubii reliquum est, adesse *contritionem*, adeoque *poenitentiam totalem* secundum suum formale consideratam. Uti enim post baptismum *Infantem actualiter peccare* non dubitamus, neque Socinianorum pestilens error vel tantillum veri habet, quo Infantes neque peccare neque proprie poenae subjectum esse fingunt. Ut CRELLIVS *de libertate Dei*, Tom. IV. Opp. p. 62. SCHLICHTINGIVS *in Comment. ad c. V. Roman.* p. 203. Ita poenitentia ad fruitionem justificationis novae opus esse nemo facile ambigat, quam Spiritus S. una cum aliis sanctis motibus ex fide nascentibus producit. Hoc antea allatus LYSERVS verbis satis dilucidis docet: *In renatis ut justificatis infantibus praeter actum illum internum ex & in fide donatum Christi justitiam modo nobis inexplicabili apprehendentem & effectus modo dictos producentem, procul dubio etiam excitantur motus interni justificationem consequentes, & ad sanctificationem spectantes, ut Deum diligant ceu Patrem, quamvis per sensibiles motus extrinsecos id non exerant, nec quicquam de illo (pertinet enim ad actum reflexum) nisi prius informati fuerint, sciant aut referre queant.* p. 1445.

§. XIII. Praedicatum igitur *verbum* in ecclesia DEI tum legis tum Evangelii etiam *ad infantes baptizatos & regeneratos pertinere*, dubitari non debet. Nam si ne quidem regeneratio ipsa sine verbo fit, cum elemento aquae nimirum conjuncta, imo in certis casibus solo verbo ante vel extra baptismum, quod exemplo Johannis patet, quem *saluisse in utero non sine precedente verbo proficitur* LUTHERVS noster *in Artic. Smalcald. VIII.* p. 333. certum omnino est, post baptismum peractum infantes per illum rege-